





3, 22.  
1018  
27  
NVM CREDITOR CONDVCENS  
ANTICHRESIN FRVCTVS LEGITIMAM  
VSVRARVM QVANTITATEM EXCE-  
DENTES LVCRETVR?

DISQVISITIO IVRIDICA 1768 8

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
ASSESSORE

D. XIII. NOVEMBR. A. R. S. CIOIDCCCLXVIII

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DEFENDET

PAVLVS CHRISTIANVS ANDREAS WEIDLERS  
VITEMBERG. SAXO

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A. TYPIS

HYM CREDITOR GONDVONS  
ANTICHEREN PRVOTIS LITAM  
VAVARAE QVANTITATE  
DENTIS INGRITIA

DISPOSITIO VAVARAE  
TRAVESTIA  
GONDVONS  
VAVARAE QVANTITATE  
DENTIS INGRITIA

DISPOSITIO VAVARAE  
TRAVESTIA  
GONDVONS  
VAVARAE QVANTITATE  
DENTIS INGRITIA

DISPOSITIO VAVARAE  
TRAVESTIA  
GONDVONS  
VAVARAE QVANTITATE  
DENTIS INGRITIA





NVM CREDITOR CONDVENS AN-  
TICHRESIN FRVCTVS LEGITIMAM VSV-  
RARVM QVANTITATEM EXCEDEN-  
TES LVCRETVR?



§. I.

**Q**uo feuerius iura nostra vsurariam damnant prauitatem: eo ingeniofiores et folertiores folent eſſe creditores, improbis intenti lucris, in adornandis palliis, quibus iſthoc ipſius adeo publicae rei ſaluti pernicioſum crimen velare, legesque, ſupprimendi iſtius turpis quaefus cauſa ſaluberrime laras, ſub ſpecie quadam negotii liciti eludere poſſint. Non vacat in praefenti improbas iſtas artes ſingulatim recenſere, quarum memorabilia exempla NOODTIVS,<sup>a)</sup> A

A 2

LEY-

<sup>a)</sup> NOODTIVS *de foenore et uſuris, Lib. II. cap. XIII.*



LEYSER,<sup>b)</sup> compluresque alii, congefferunt; iam in vnica duntaxat subsistere specie placet, qua creditor antichrefin seu pignus, ipsi vsurarum vice fruendum concessum, a debitore ita conducit, vt debitor pactam mercedem cum vsuris crediti compenfer, creditor autem fructus antichrefeos quantoscunque conductionis iure suos faciat, nec debitori perceptorum fructuum nomine rationes reddere teneatur. Qualis conuentio, an, et quatenus iure ualeat, breuiter anquirere tentabo.

## §. II.

Non tolerandam modo, verum etiam cautionis insignis loco commendandam esse istiusmodi conductionem pignoris creditori, quo lites de fructibus et excessu vsurarum declinentur, eamque magis secure, quam retroenditionis contractum, quo quippe ordinarie quoque periculum rei in creditorem transfertur, iniri, iudicat A LEYSER;<sup>c)</sup> Eandem quoque sententiam fouet STRYKIVS, qui tutissime pignoris vsu creditori concedi censet, si eidem contractus locati conducti adiungatur. *Hoc modo, inquit,<sup>d)</sup> vsuras certas habet creditor, et quod amplius fructuum nomine ex praedio percipit, hoc vi contractus locati iuste retinet.* Neque vero de modico tantum

<sup>b)</sup> A LEYSER, *Meditat. ad Pand. Spec. CCXLVII. de vsuris palliatis.*

<sup>c)</sup> IDEM, *Meditat. ad Pandect. Spec. CLVII. coroll. vn.*

<sup>d)</sup> STRYKIVS *de cautelis contractuum Sect. II. c. IV. §. XXXVII.*



tum excessu fructuum ita sentire Strykium, verum eandem quoque, si multum fructus superent legitimum vsurarum modum, eiusdem esse opinionem, ex ipso illo, quod, illustrandae assertionis gratia, proposuit, exemplo creditoris, qui praedium, quod ipsi debitor propter mutuum decem millium thalerorum, pignoris loco offert, et ex cuius fructibus annuatim nongenti thaleri percipi possunt, pro annua septingentorum thalerorum mercede hac lege conducit, vt ducentos tantum thaleros annuos numerare teneatur locatori, reliquos autem quingentos thaleros ab ista pensione deducere, et loco vsurarum, ex mutuo decem millium thalerorum debitaram, retinere liceat, luculentissime constat.

## §. III.

Singulare omnino robur huic sententiae conciliare creditur auctoritas ALEXANDRI IMPERATORIS ita diserte rescribentis:\*) *Si ex pactione vxor tua mutuam pecuniam dedit, vt vice vsurarum domum inhabitaret, pactoque ita, vt conuenit, vsa est, non etiam locando domum pensionem rededit, referri quaestionem, quasi plus domus redigeret, si locaretur, quam legitimarum vsurarum ratio colligit, minime oportet; Licet enim vberiore sorte potuerit contrahi locatio,*

A 3

NON

\*) IMP. ALEXANDER L. 14. C. de vsuris.



NON IDEO TAMEN ILLICITVM FOENVS ESSE CONTRACTVM, SED VILIUS CONDVCTA HABITATIO VIDETVR. Quae quidem extrema rescripti verba manifeste probare videntur, non licere modo creditori rem sibi oppignoratam conducere a debitore, verum etiam vsurariae cuiusdam prauitatis reum non habendum esse, tamen vilius conduxerit, quam iuxta proportionem fructuum res illa aliis locari a debitore potuisset.

§. IV.

Sicuti vero Imperator Alexander in isto rescripto singularem tantum aliquam speciem, qua debitor creditrici suae vice vsurarum domum inhabitandam concesserat, definiuit, ita ratio iuris non permittit, vt isthaec decisio ad alios casus, quorum dispar omnino est ratio, producat. Videlicet ius illud habitationis, quod in proposita specie creditrici vsurarum vice ita fruendum datum est, vt ipsa inhabitet, non aliis locet aedes, certam non recipit aestimationem, sed, sicut vsus habitationis, praesertim pro conditione personae, quae inhabitat, varius ac interdum fere tantum imaginariae vtilitatis esse solet; ita aestimationem quoque huius fructus, qui inhabitando percipi videtur, pro diuerso inhabitantium vsu admodum diuersam esse oportet. *Multum interest*, inquit GERARDVS NOODT,<sup>f)</sup>

*cum*

f) GERARDVS NOODT. *de foenore et vsuris Lib. II. cap. IX.*





*cum de aestimanda mercede agitur, utrum aedes per hunc, an per illum habitantur.* Itaque nemo dixerit, creditorem, qui vice usurarum ipse inhabitat aedes antichreticas, ideo usurariam committere prauitatem, quia fortassis debitor aedes istas alii cuidam pro cariore locare potuisset mercede. Neque enim eo, quod is debitoris sui aedes, easque ampliores forsitan, quam opus sibi est, incolit, patrimonio eius quicquam accedit, ut verum certumque, ac quantitatem sibi debitarum a locatore usurarum superans lucrum exinde percepisse, existimari possit.

§. V.

At enim vero alia omnino, ac dispar plane ratio eius est creditoris, qui ex re, quam ipsi usurarum vice fruentem concessit debitor, istiusmodi percipit fructus, quibus vere suum reddere possit patrimonium locupletius. Hic procul dubio verum capit lucrum, ideoque si horum fructuum aestimatio, deductis deducendis, notabiliter excedat usurarum legitimam quantitatem, procul dubio illiciti foenoris reus foret creditor, si excedentem illam quantitatem gratis retineret, nec de forte detraheret. Igitur ad hunc quoque pertinet, quod ALEXANDER IMPERATOR generatim praecepit:<sup>s)</sup>

*Credi-*

<sup>s)</sup> IMP. ALEXANDER L. 3. C. de pigueratitia actione.



*Creditor, qui praedium pignori nexum detinuit, fructus quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet.* Hinc etiam facile intelligitur, cur idem imperator in isto, quod supra §. III. adduximus, rescripto <sup>h)</sup> expresse commemorauerit, creditricem, quam ibi illiciti foenoris ream negat, pacto ita, uti conuenit, usam esse, id est, ipsam inhabitasse, non locando domum pensionem redigisse. Quodsi enim creditrix illa aedes, sibi inhabitandas usurarum vice concessas, aliis pro certa mercede locasset, verum certe ex pignore percepisset fructum pecuniarium, qui si multum excessisset usurarum modum, vix dubitabitur, quin illa, immoderatum huiusmodi lucrum retinendo, usurariae prauitatis meruisset notam.

§. VI.

Ex his autem, quae iam disputata sunt, sua sponte apparet, locationem illam conductionem, sub cuius pallio pactum latet antichreticum, nequaquam adeo tutam existimandam esse, ac illa quidem STRYKIO <sup>i)</sup> visa fuit; nec eidem hoc concedendum putamus, quod creditor illud emolumentum, quod fructuum nomine ultra usurarum modum legitimum percipit,

vi

<sup>h)</sup> IDEM L. 14. C. de usuris.

<sup>i)</sup> STRYKIVS in cautelis contractuum, loco supra §pho II. citato.



vi contractus locati iuste retinere et lucrari possit. Quamuis enim alias leges non improbare soleant, si quis rem pro uiliore conduxerit mercede, dummodo enormem non patiatum laesionem locator: attamen non simulatam, nec tantum dicis causa contractam esse oportet locationem. Neque enim ex solo nomine, quo negotium celebratum callide insignire placuit contrahentibus, eius aestimanda est natura et efficacia: verum semper utique plus attendendum, quid vere fuerit actum inter partes, <sup>h)</sup> et quatenus illud, quod proprie intenderunt, sed in fraudem legis pallio quodam obdlexerunt contrahentes, legibus aduersatur publicis, hoc merito pro nullo atque irritum habendum erit. <sup>i)</sup> In primis autem in detegendis usurariae prauitatis palliis iudicem circumspecte agere oportet, ne sub specie externa honesti alicuius contractus improbum toleretur foenus. Hinc retroenditionis pactum rescindendum, si contractus sub isto pacto latitet usurarius. <sup>m)</sup> Similiter igitur nec locationis praetextus prodesse debet creditori, fructus legitimo usurarum modo maiores lucrifacundo. Et, nonne ipse Strykius malae

<sup>h)</sup> VALERIANVS ET GALLIENVS L. 1. sequ. C. plus valere, quod agitur, quam quod simulate concipitur.

<sup>i)</sup> THEOD. ET VALENT. L. 5. C. de legibus.

<sup>m)</sup> C. 5. X. de empr. c. 4. X. de pignor. REFORMATIO IMPERII POLIT. de anno 1548. add. DECIS. REG. NOVISS. XXII. de no. 1746.



causae prodit indicium, dum is, postquam ad instar eximiae cautionis commendauit creditori, ut hic fructus pignoris a debitore conducat, mox haec verba subiungit: *Observandum tamen et hic esset, ut non ab initio contractus mentio mutui fiat, ne in fraudem legis, velamento locationis, usuraria prauitas tegatur;*<sup>n)</sup> Quid enim opus foret dissimulatione mutui, et cur usurarii criminis notam metuendam haberet creditor, si absolute vera esset Strykii assertio, quod in specie proposita creditor vi contractus locati conducti iuste retinere possit lucrum, ex fructibus praedii debitoris ultra modum usurarum perceptum?

§. VII.

Itaque haut erraturos nos putamus, si istiusmodi locationis conductionis, quam creditor intuitu fructuum praedii oppignorati vice usurarum percipiendorum cum debitore suo contrahit, efficaciam ex indole pacti antichretici dimetiamur, istamque conductionem eatenus tantum validam iudicemus, quatenus ipsa antichretica conuentio, palam, et absque inuolucro locationis inita, valitura esset, cum, quod simulate actum est, non possit maioris esse efficaciae, quam illud quidem ipsum, quod sub specie ista externa latet, usurarium negotium. Iam si ad iura pactorum antichreticorum paulisper respiciamus, non quidem in definienda quaestione, num iure romano creditor,

vi

<sup>n)</sup> v. STRYKIVM loco antea citato.



vi istius pacti, superantes vsurarum legitimarum modum fructus pignoris lucrari possit, omnium iurisconsultorum vnam eandemque esse sententiam videmus. Ex opinione IACOBI CUIACII<sup>o)</sup> quam plures iuris ciuilibus interpretes sequi solent, tacita saltem antichresis modum seruat vsurarum: expressa non item; Sed istam Cuiacii sententiam potissimum confutauit supra laudatus GERARDVS NOODT,<sup>p)</sup> quicquam, circa vsurarum modum, inter tacitam et manifestam seu expressam antichresin interesse discriminis negans, dummodo certum sit, egredi eam finem vsurarum. Sin autem incerti sint pignoris fructus, generatim quidem pactum antichreticum ratum habuisse videtur PHILIPPVS IMPERATOR,<sup>q)</sup> cum is abscisse monuerit, *istiusmodi pactionem, obtentu maioris emolumenti*, PROPTER INCERTVM FRVCTVVM PROVENTVM, *rescindi non posse*: attamen vnanimi tere Iurisconsultorum nostratium assensu in foris germaniae inualuisse, vt de fructibus incertis quoque, si palam egrediantur vsurarum quantitatem legitimam, et hic excessus alicuius momenti esse iudici videatur, rationes reddere, ac lucrum istud immodicum de forte sibi debita deducere obstrictus sit creditor, ex iis, quae BERGERVS,<sup>r)</sup> CARPZOVIUS,<sup>s)</sup> WERNHERVS,<sup>t)</sup> ALEYSER,<sup>u)</sup>

B 2

LAVTER

<sup>o)</sup> IAC. CUIACIUS in *Obseru. Lib. VIII. c. XVII.*

<sup>p)</sup> GERARDVS NOODT. *de foenore et vsuris Lib. II. cap. IX.*

<sup>q)</sup> IMP. PHILIPPVS L. 17. C. de vsuris.

<sup>r)</sup> BERGERVS *Oecon. iur. Lib. III. Tit. II. §. XV. not. 5.*

<sup>s)</sup> CARPZOVIUS *Definit. forens. P. II. Const. XXX. def. 40. seqq.*

<sup>t)</sup> WERNHERVS in *Obseru. for. P. VII. obs. CXV.*

<sup>u)</sup> ALEYSER *Med. ad Pand. Spec. CLVII. med. 1.*



LAVTERBACHIVS,<sup>v)</sup> et alii complures, hoc de argumento tradiderunt, luculenter constat. Quin imo, quod sigillatim ad Saxoniam nostram attinet, singulari lege publica cautum est,<sup>w)</sup> vt de omni antichresi, siue certus siue incertus sit fructuum proventus, rationes reddere, idque, quod vsurarum superat modum, aut restituere debitori, aut de sorte debita detrahare creditor teneatur.


§. VIII.

Inde vero hoc tandem conficitur, nequaquam ad lites de fructibus et excessu vsurarum declinandas prodesse creditori posse pallium conductionis, ac idcirco reapse inanem esse cautionem istam a Strykio potissimum commendatam. Etenim ius fruendi pignoris non minus acquirit creditor per pactum antichreticum manifeste ininitum, ac illud conducendo pignus consequitur; a rationum redditione autem, ac restitutione percepti iustum vsurarum modum excedentis lucri, eundem liberare haut potest praetextus conductionis, in fraudem legum, vsurarum fines determinantium, contractae. Sicuti enim, ipsomet fatente STRYKIO,<sup>x)</sup> non licet renunciare exceptioni reddendarum de fructibus pignoris rationum, nec pactione priuatorum effici potest, vt vsuraria prauitas permilla sit: ita nec creditor, conducendo antichresin a debitore, id obtinere poterit, vt iuste recusare redditionem rationum, et improbum foenus impune exercere valeat.

<sup>v)</sup> LAVTERBACHIVS in *diss. de iure antichrescos* §. 47.

<sup>w)</sup> DECISIO REG. NOVISS. XXII. de anno 1746.

<sup>x)</sup> STRYKIVS de *cautelis contractuum* Sect. II. cap. IV. §. XXIII.



ULB Halle

3

005 361 745









B.I.G.

Farbkarte #13

3, 22.

1018

27

8

NVM CREDITOR CONDVCENS  
ANTICHRESIN FRVCTVS LEGITIMAM  
VSVRARVM QVANTITATEM EXCE-  
DENTES LVCRETVR?

DISQVISITIO IVRIDICA

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
ASSESSORE

D. XIIX. NOVEMBR. A. R. S. CIOICCLXVIII

IN AVDITORIO MAIORE

PVELICE DEFENDET

PAVLVS CHRISTIANVS ANDREAS WEIDLERVS  
VITEMBERG. SAXO

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS

